Class M
Section 2
Book No.
Accession No.


ORAVI PRO TE
PIUS PP. IX.
TELFER. CIN. O

STATUTA DIOECESANA

AB

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO P. D.

JOANNE BAPTISTA PURCELL,

ARCHIEPISCOPO CINCINNATENSI,

IN VARIIS SYNODIS, QUAE HUC USQUE
IN ECCLESIA SUA CATHEDRALI
VEL IN SACELLO SEMINARII,

CELEBRATAE SUNT, LATA ET PROMULGATA.

UNA CUM

DECRETIS

CONCILIORUM PROVINCIALIUM ET PLENARII

BALTIMORENSIUM,

QUIBUS INTERFUERUNT

OMNES STATUUM FOEDERATORUM EPISCOPI

ET

DECRETIS CONCILIORUM TRIUM CINCINNATENSIUM.

NUNC PRIMUM IN UNUM COLLECTA ET PUBLICI JURIS FACTA.

CINCINNATI:
JOHN P. WALSH.
1865.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

125 +

PRAEFATIO.

CUM jam pluries, juxta sacrorum canonum praescriptiones, synodi Diocesanae Cincinnati habitae fuerint, quibus, post sacra exercitia ab illustribus viris ecclesiasticis primi et secundi ordinis tradita, adstabant fere omnes sacerdotes in ista diocesi tunc temporum curam animarum agentes, decreta tamen quae in iis lata sunt nonnisi oretenus promulgata vel ad summum scriptis mandata, nunc demum, usu et experientia adprobata, e prelo edere juvat.

Annis quidem retroactis, ut lubenter attestamur, nihil clero nostro dilectissimo sanctius, nihil antiquius fuit, quam ea omnia quae a conciliis sive generalibus, sive provincialibus, de cura et regimine animarum, de administratione sacramentorum, de verbi divini praedicatione, de vita moribusque clericorum sancte et utiliter instituta fuerunt, ad amussim exequi et in praxi, tanquam a Spiritu Sancto sancita, tenere. Scopus vero institutionis clericorum qui in Seminario diocesano sacris studiis incumbebant, sicut et pastorum quibus in visitatione nostra episcopali os ad os loqui et monita salutis tradere concessum est, is semper fuit, alte scilicet mentibus eorum imprimere non aliter, ut, verbis utamur sacrosanctae Synodi Tridentinae, sanctam orthodoxam fidem inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiam accendere, ceteraque ad fidelium fructum constituere posse sacerdotes, quam, vestigiis majorum nostrorum insistendo, qui Principem pastorum propius imitantes, nobis sanctarum disciplinarum leges et exempla in vita et actibus suis praebuerunt.

Nec nobis licitum fuit silere eorum in excolenda Vinea Domini devotionem, omnem humanam laudem superantem, qui, cum antecessores nostri immediati fuerint his in terris

quas, si non sanguine, sudore saltem et patientia et orationibus suis foecundaverunt, nobis, tanquam hereditatem pretiosissimam legaverunt, virtutes suas et artes istas vere evangelicas quibus sectandis et adversa quaelibet superare et quae pro gloria Dei et salute animarum suscipienda sunt opera, perficere valeamus.

Haec autem ut certius, luculentiusque assequamur, opportunum esse judicavimus unam legem in divinis, et in iis quae ad divina attinent, statuere clero populoque fideli, qui ex multis variisque terris oriundi, Deo, ut credere est, duce, huc confluxerunt, sed qui, quamvis fide consentiant, ritus tamen dissimiles et usus in divinis non bene concordantes secum important, quos nisi in iis saltem quae necessaria sunt, ad normam et exemplar rituum Sanctae Romanae Ecclesiae adducant, plus religioni nocere quam prodesse videantur.

Lex vero quam statuimus ea est quam in conciliis quasi plenariis Baltimori habitis et in conciliis Cincinnati celebratis tulerunt praesules nostri et praepositi in fide, quam et Summi Pontifices supremo suo judicio, utpote puris fontibus scripturae sanctae et ecclesiasticis traditionibus conformem, sancire nobisque dignati sunt commendare. Legi igitur quae ex hujusmodi decretis aliisque sacris monumentis constat, et statutis diocesanis, quae exinde derivantur, morem gerentes uno ore et corde Deum et Patrem Domini Nostri Jesu Christi benedicamus ut quae unitatis et pacis zelique apostolici sunt uberrima praemia facilius et tutius teneamus.

DIOCESAN SYNOD.

The first session of the Synod of the Clergy of the Archdiocese of Cincinnati was solemnly celebrated in the Cathedral last Sunday morning. Pontifical High Mass of the Holy Ghost, in presence of the Most Rev. Archbishop and the Right Rev. Bishops of Philadelphia and Mobile, was sung by the Right Rev. Dr. ROSECRANS, attended by the following officers:

Assistant Priest — Rev. C. H. BORGESS.

Deacons of Honor — Rev. R. GILMOUR; Rev. J. H. JACQUET.

Deacon of Office — Rev. E. FITZGERALD.

Subdeacon — Rev. WM. CAREY.

Master of Ceremonies — Rev. W. J. HALLEY.

Assistant Master of Ceremonies — Rev. W. BIGELOW.

At the conclusion of the Holy Sacrifice, Rev. Father SMARIUS, after reading the Gospel of the Sunday, preached on the nature, the objects, and the fruits of Ecclesiastical Synods, and earnestly entreated GOD'S faithful people, for whose eternal salvation the Church and all her institutions and ordinances were established only, to pray for their devoted and esteemed pastors, that the Holy Spirit

may preside at the deliberations of the Clergy and enable them to observe faithfully and enforce with zeal, prudence, and charity the statutes and disciplinary enactments of the Synod.

The Most Rev. Archbishop then proceeded, in accordance with the prescriptions of the Roman Pontifical, to open the Synod. The Psalm, "*Salvum me fac*" and the Litany of the Saints were sung by the chanters and Clergy. The Decree, "*De Residentia*" was read, the Profession of Faith made, and the Pontifical Benediction given by the Archbishop.

The second session was held on Monday morning; the last on Tuesday.

We append the names of all who were present at the Spiritual Retreat; and add the names of all who attended the Synod. The priests of the Diocese whose names appear not on these lists, were excused, for valid reasons, from attending:

Very Rev. E. Purcell, V.G.
Ahern, Rev. H.
Albrink, Rev. J. C.
Andres, Rev. F.
Bender, Rev. F.
Bigelow, Rev. W.
Blake, Rev. Thos.
Borgess, Rev. C. H.
Boulger, Rev. Thos. J.
Brent, Rev. Julius.
Brisard, Rev. C.
Broring, Rev. R.
Brummer, Rev. J. W.
Carey, Rev. W.
Very Rev. Jos. Ferneding, V.G.
Clarkson, Rev. S. A., O.P.
Conway, Rev. J.
Coveney, Rev. J.
D'Arco, Rev. Fr.
D'Arcy, Rev. W.
Daly, Rev. C.
Daly, Rev. J. V., O.P.
Deiters, Rev. W.
Deselaers, Rev. M.
Driscoll, Rev. C., S.J.
Dutton, Rev. F. X.
Dwenger, Rev. Joseph, S.PP.SS.
Elkmann, Rev. B.

Eppink, Rev. M.
Fehlings, Rev. H.
Ferneding Rev. H.
Fitzgerald, Rev. E.
Fitzgerald, Rev. Jos.
Gelss, Rev. B.
Gilmour, Rev. R.
Goetz, Rev. J. F.
Gobbels, Rev. Jos.
Hahne, Rev. J. F.
Hahne, Rev. C.
Halley, Rev. W. J.
Heimo, Rev. J. A.
Hemsteger, Rev. J. B.
Hengehold, Rev. B.
Hone, Rev. C. F.
Jacobs, H.
Jair, Rev. Atho., O.S.F.
Jacquet, Rev. J. H.
Johanning, Rev. H.
Kalenberg, Rev. J.
Karge, Rev. F., O.S.F.
Kearney, Rev. J. F.
Kelly, Rev. D. J.
Klueber, Rev. D. J.
Koring, Rev. H.
Kraemer, Rev. J. C.
Kress, Rev. J.
Kuhr, Rev. G. H., D.D.
Menge, Rev. B. J.
Menge, J. J.
Navaron, Rev. L.
O'Donoghoo, Rev. Ph. J.
O'Donoghue, Rev. J. J.
O'Donohoe, Rev. J. B.
O'Donoghue, Rev. M.
O'Higgins, Rev. W.
O'Neil, M.
O'Regan, Rev. D., DD.
Pabisch, Rev. F. J., D.D., LL.D.
Pindar, Rev. C.
Rauch, Rev. J. J.
Ryan, Rev. M. J. D.
Schiff, Rev. J.
Schelhamer, Rev. C.
Schreiber, Rev. L.
Stehle, Rev. E.
Steinlage, Rev. J. B.
Stukenborg, Rev. H.
Schmitz, Rev. B.
Specht, Rev. F.
Thisse, Rev. J. N.
Tobbe, Rev. A. M.
Topmuller, Rev. Godf.
Uhling, Rev. G.
Walker, Rev. D. B.
Walburg, Rev. A.
Weissenberger, Rev. P. J.
Wittler, Rev. J.

Cincinnati, September 5, 1865.

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
CARLI: Consortium of Academic and Research Libraries in Illinois

http://archive.org/details/statutadiocesana00cath

STATUS sacerdotalis triplex est finis. Cultus Divinus, aedificatio populi, sanctificatio ipsius sacerdotis. Sub triplici proinde capite, quae tradituri sumus dilectissimo Clero nostro monita ac decreta, ponentur.

STATUTA DIOECESANA.

PARS PRIMA.

DE CULTU DIVINO.

CAPUT I.

De Ecclesiis Aedificandis.

I.

QUOTIES contigerit novae Ecclesae aedificationem moliri, primum omnium Ordinarius de ejus necessitate, de loco, de que auxiliis, certior fiat; atque ipsius obtenta licentia in scriptis, situs conveniens ac sufficiens pro Ecclesia, schola, et domo Pastorali procuretur, eique tradatur, titulus legalis juxta formam quae in folio Anglice exarato videtur.

II.

Deinde sacerdos nobis iconographia novi aedificii approbanda, et in secretaria conservanda, referet; atque simul propositiones architectorum, seu aedificantium; et schedam eorum, qui, subscriptis nominibus, media se praestituros promiserunt, exhibebit.

III.

Ad conficienda iconographia eligatur optimus architectus, licet majorem pecuniae summam exi-

gat. Aedificium non sit sumptuosum supra, sed potius infra, media certa solvendi; memores verbi Evangelici:

"Quis enim ex vobis volens turrim aedificare non sedens prius cogitat sumptus qui necessarii sunt si habeat ad perficiendum; ne posteaquam posuerit fundamentum et non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei, dicentes, quia hic homo coepit aedificare et non potuit perficere." S. Lucas, cap. xiv, v. 28.

IV.

Consultius est nullas oblationes pecuniarum pro nova Ecclesia recipere priusquam rationabilis spes perficiendi effulserit.

V

Incepto opere, sacerdos nullatenus debitum personale contrahat, sed curet, ut viri probi opibusque instructi, ex iis praesertim qui fructum uberiorem ex novo aedificio percepturi sunt, contractus ineant atque solutiones faciant; si autem sacerdos vult et potest, media propria operi praestare, dono det; nunquam commodet, nec se pro congregatione debitis implicet.

VI.

Omnes contractus fiant scriptis juxta formam legitimam, ac a contrahentibus, quantumvis probis, cautio vel realis, vel personalis, exigatur.

VII.

Consuetudinem erigendi in novis et adhuc pauperibus missionibus aedificium quod prius pro Ecclesia, deinde, multiplicato populo, pro schola ha-

eri potest enixe commendamus, ut incommodis non subjiciatur sacerdos celebrando et confessiones accipiendo in domibus privatis.

CAPUT II.

De Ecclesiis ad Divinum Cultum instruendis.

Si "invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur," hoc maxime fiat in Templis sacris in quibus illud jugiter impletur "deliciae meae esse cum filiis hominum."

Horum ergo quidquid potest esse, in structura, in ornamentis, in supellectili, vel in nitore ac conservatione, timorem sanctum et reverentiam incutiat, fidem excitet, pietatem inspiret.

Laudabilis Pastor, beatus populus, qui verbis ac factis semper dicunt, "Domine dilexi decorem domus tuae."

Quibus autem omnis Ecclesia instruenda sit cogitanti facile constabit, quippe in qua:

1° Offertur Sacrosanctum Missae Sacrificium,

2° Conservatur Sanctissimum Corporis et Sanguinis Domini Sacramentum,

3° Sacramenta Baptismi, Poenitentiae, Eucharistiae, Confirmationis, Ordinis atque Matrimonii, administrantur,

4° Verbum Dei praedicatur, et laudes divinae canuntur,

5°. Populus orat.

Fusius acturi de iis quae requiruntur ad tria priora, hic pauca adimadvertere placet de iis quae

decent Ecclesiam ut Domum praedicationis ac orationis privatae.

Parietes sint alti, imaginibus vel picturis ornati, exclusis prorsus profanis ineptisque. Fenestrae sint adeo elevatae ut visus eorum qui foris sunt in vicis ac plateis excludatur, in quem finem sapienter adhiberi potest vitrum depictum (stained glass). Pavimentum sit nitidum siccumque; atque in parte elevata ac per cancellum definita tapeto ornatiori, crucibus non signato, coopertum pro sanctuario; in reliqua parte viliori aliqua materia, ad tollendum strepitum calcantium.

Pulpitum sit conveniens ac in commodum audientium locatum.

Item de scamnis tum in sanctuario pro celebrante ac ministris, tum in Ecclesia pro populo, quae postrema genuflexoriis commodis provideantur.

Locus cantorum sit etiam scamnis, ac scriniis pro chartis musicis, instructus.

Ecclesiae fabrica, supellectilia, ornamenta omnino nitida, ordinata, ac bene reparata semper custodiantur. Invigilet ipse Pastor muris, tecto, pavimento, fenestris, januis, scamnis, sanctuariis, altaribus, vasis, vestibus, scriniis, videatque ut nihil fractum, aut sordidum, vel una hora remaneat.

Confraternitates mulierum quae nitori Ecclesiae atque altarium provident, ornamenta vel emunt, vel conficiunt, disponuntque, sunt valde approbandae. Curet tamen Pastor ne ornamenta inepta, statuas aut imagines ridiculas introducant; atque ne unquam rixarum aut scandalorum seminarium fiant.

Quaevis Ecclesia nondum completa censeri debet, sine sacristia bene ventilata, ac fenestris vecti-

bus ferreis munitis, cum scriniis amplis; sine baptisteriis, organo et campana; si non habeat vas lapideum, vel aliud saltem pulchrum ac mundum, fixum in altitudine trium palmitum cum dimidio, ad unamquamque portam pro aqua benedicta.

"Maledictum esse opus Dei negligenter facientem," haud immemor Pastor existat. Apprime sciat praescripta Rubricae nec non Sacrae Rituum Congregationis, quae conscientiam ligant: nec unquam functionem aliquam sacram aggrediatur quin prius viderit omnia praesto esse ad ritum integre ac decenter peragendum.

Omnes functiones sacrae ordinate, modeste, graviter, nec festinanter, nec prolixe, fiant. Invigilet Pastor ut clerici et pueri qui altari deserviunt, sint vestitu, gressu, gestu, et aspectu in aedificationem populo Dei; nec non ut cantores, qui saepius vigilantia pastorali indigent, sicut decet, se gerant. Procul a Domo Dei, quam "sanctitudo decet in longitudinem dierum," quod saeculum sapit, arceat, scilicet negotiationes, conversationes, coetus profanos, cujuscumque generis strepitus, sermocinationes laicorum, ac concentus musicos ad nudam audientium delectationem habitos (concerts), etiam pro sustentandis operibus religionis et charitatis.

Statuat in corde suo unusquisque Pastor quam primum ea exequi quae praescribuntur a Con. I. Prov. Cin., Dec. 1., de cantu sacro; nec per seipsum cantum docere tum magistros, tum etiam parvulos, dedignetur: ad minus videat ut ludimagistri rite de cantu ecclesiastico sentiant, atque spiritum cultus catholici bene intelligant. Toto corde optaremus, ut nostris ecclesiis tempus veniret quando,

mane et vespere diebusDominicis et Festis non audiens tantum, sed et decantans, omnis populus laudaret Dominum.

Animadvertat tamen Pastor cantica in lingua vernacula, durante Missa cantata, vel in vesperis, prorsus inhibita esse per Dec. VIII. Con. Balt., Prov. III.

Horis statutis ac populo praeconizatis, omnes functiones Cultus Divini exactissime fiant non solum in Festis sed etiam in Feriis.

CAPUT III.

De sacrosancto Missae Sacrificio.

Offerre Sacrosanctum Missae Sacrificium est opus omnium excellentissimum, superans creationem saeculorum, omnemque excedens angelicam potestatem. Per solam enim hanc oblationem *mundam* tribuitur Summo Deo honor majestati infinitae ipsius condigne debitus gratiarum actio Bonitati ipsius plene proportionata, obtinetur remissio omnium peccatorum, aperitur cunctorum bonorum Thesaurus.

Admissi in Palatium summi Regis, ubi Dominus est in Templo sancto suo, sacerdotes Novae Legis, cum metu ac tremore, inter choros angelorum arae circumstantium, ita mysteria tremenda peragere debent, ut nihil sive intus in corde, sive foris in actu, oculis Divinis appareat quod non sit ordinatum ac sanctum. Quod si necessario fatendum est, ut loquitur Sacrosancta Tridentina Synodus "Nul-

lum aliud opus adeo sanctum et divinum a Christifidelibus tractari posse quam hoc ipsum mysterium, satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanto maxima fieri potest interiori cordis munditia, et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur."

II.

Custodiant sacerdotes "interiorem cordis munditiem," per vitam immaculatam, operibus charitatis, poenitentiae pietatisque deditam. Nunquam, extra casum necessitatis, ad altare accedant, horis canonicis nondum persolutis aut praeparatione speciali ad Missam non praemissa. Districto examini, juxta mandatum Apostoli, conscientiam subjiciant, crebrisque confessionibus eam purgent. Lectioni sacrae attendant: meditationibus sanctis incumbant. Mundum ac mundana, multo magis peccatum, fugiant. Uno verbo quidquid ad bonam vitae institutionem pertinet, quidquid in cogitationibus est pium, in moribus castum, in desideriis ordinatum, huc conferatur, ut sacerdos dignus, vel minus indignus, efficiatur hoc munere, quod nec angelis ipsis adimplere licet.

III.

Ad exteriorem devotionis et pietatis speciem altare cum ornamentis suis, vestes ac ratio se gerendi, tum celebrantis, tum ei assistentium, pertinent:

§ 1. Altaria erigantur in Ecclesiis, et non in oratoriis aut in domibus privatis, sine nostra licentia, in altitudinem trium pedum cum quatuor pollicibus atque latitudine sat ampla: conficiantur ex marmore vel ex aliquo ligno pretiosiori, et ornatiori.

Habeant aram lapideam, fixam in mensa, rite ab Episcopo consecratam. Altaria portatilia adhibenda concedimus tantum in iis locis missionum, ubi nullum est Ecclesiae aedificium.

Tabernaculum sit pro facultatibus loci pretiosissimum, foris depictum vel deauratum, intus, et extra, serico circumvestitum; eique veluti basi, sola crux insistat, numquam vasa florum aut imagines.

Candelabra sex majora—quamvis plura adhiberi possent praesertim in Festis majoribus—sufficient. Cerato cooperiatur tota tabula altaris, quo super linteamen sit saltem triplex, quod, peractis ritibus, in munditiem, velo cooperiri debet. Sine Missali ac tabulis pro *Lavabo*, *Canone*, ac *Evangelio S. Joannis* celebrare non licet. Nihil unquam altari superponatur quod ad ritum peragendum non sit necessarium; minime omnium, sudariolum quo utitur sacerdos.

Calix sit ex auro, vel argento: vel habeat cuppam argenteam intus deauratam. Sit ab Episcopo consecratus: nec unquam ab aliis praeter sacris ordinibus insignitos, sine speciali licentia, tangatur.

§ 2. Vestes sacrae sint integrae, coloris Festo seu Feriae, convenientis, nitidae, et pro viribus Paroeciae pretiosae uniuscujusque coloris. Ubi fieri potest, vestis sit duplex: pretiosa nempe pro Festis solemnioribus, communis, pro ordinariis ac Feriis. Vestis plurium colorum non sufficit pro omnibus festis.

Non licet deponere vestes sacras in scriniis sub altari in quo conservatur Sanctissimum Sacramentum: multo minus candelabra, vasa, aut, quod maxime dedecet, sordes cum scopis.

Provideantur scrinia in sacristia, ubi casulae sine plicis deponi possunt, ibique omnes vestes locum proprium, nitidum ac ventilatum, habeant.

§ 3. Tum celebrans, tum assistentes clerici, veste talari utantur. Consultius est non celebrare quam sine veste conveniente celebrare. Clerici sine veste talari decente ac integra, superpelliceo nitido, ac calceamentis mundis, sanctuarium ingredi non presumant. Pastor ipse novos Clericos solerter edoceat verba responsionum rite pronuntiare ac distincte proferre, alacriter, intento animo inservire, omnes caerimonias observare, rite se gerere, in demissione oculorum in modestia gestus, ac gravitate incessus.

Item instruat cantores atque organistam quid et quando cantare ac sonare debeant: ut illicita ac quasi profana excludat, omnemque sonitum musicae juxta decretum Sac. Rit. Cong., tempore Consecrationis cessare faciat.

Videat celebrans vinum Sacrificii esse genuinum, hostias rite confectas, plene rotundas, nec nimis tenues. Missale signet, calicem praeparet, vestesque induat, in sacristia. Deinde corpore erecto, oculis demissis, DEUM cogitans, ad altare procedat, ibique omnia juxta Rubricas, quas saltem quotannis legere debet, exacte peragat, nec nimis lente, nec precipitanter, sed ita ut in festis et feriis ordinariis, non minus quam tertiam partem, horae, nec magis quam dimidiam, consumat.

Missa semper vel integre cantetur, vel integre dicatur. Non licet celebranti permittere ut cantores *Gloria*, vel ullam partem *Symboli Nicaeni*, vel *Sanctus*, vel *Agnus Dei* omittant; nec ipse debet

Gloria, aut *Credo* intonare, ac deinde, non expectato cantu, Missam prosequi.

Nemo vagus aut Pastori ignotus in ulla hujus Archidioeceseos Ecclesia celebrare permittatur. Ex concessione, Pastores urbis facultatem habent licentiam impertiendi cuivis sacerdoti ipsis cognito, ab omni censura libero, ut semel aut bis celebret, nostra licentia nondum obtenta; extra urbem vero toties quot dies requirentur ad petendam licentiam, responsionemque recipiendam per litteras. Talis autem, nobis inconsultis, confessionibus accipiendis se ingerere non praesumat; confessionem vero pastoris audire potest.

Pastor tenetur sub gravi pro populo offerre quoties populus tenetur ad sacrum audiendum; nec licet ei qui privilegio binandi gaudet, unam Missam ad privatam intentionem pro stipendio applicare.

Nullus obligationes (intentions) celebrandi supra quinquagies suscipiat; omnium susceptarum obligationum accuratam rationem scriptis teneat, ita ut ab alio adimpleri quaeant ejus interveniente morte; nec unquam supra stipendium fixum aliquid exigat. Hac in Archidioecesi, stipendium pro Missa privata celebranda est unus nummus Americanus (dollar). Fundationes missarum fieri nequeunt a pastoribus, vel congregationibus, sine nostro consensu.

Quotidie, propter charitatem, quemque sacerdotem non impeditum, celebrare optamus. Spiritu sacerdotali carere censendus esset, qui, sine gravi causa. hunc honorem Divinae Majestati, hoc gaudium Beatis, hoc solamen animabus, in Purgatorio de-

tentis, hanc gratiam undequaque indigentibus, hanc aedificationem fidelibus adstantibus, hanc demum benedictionem animae suae, unquam negaret.

Omni zelo laboret Pastor ut populus etiam quotidie sacrum audiat, praesertim pueri ac puellae qui scholas frequentant.

CAPUT IV.

De Vesperis ac reliquis Devotionibus in Ecclesia habendis.

Vesperae decantentur hora pro majori commodo populi statuta quavis Dominica ac Festo de praecepto, sed ante solis occasum.

Consuetudinem canendi Psalmos: Dixit Dominus, Confitebor tibi, Beatus vir, Laudate pueri, Laudate Dominum, vel in Exitu Israël, Hymnum quemcunque, praesertim vero temporis, cum Magnificat, spectatis circumstantiis improbare certe haud possumus. Atamen valde optaremus ut quantocius fieri poterit, Vesperae propriae ac integrae diei, a toto populo decantentur.

Sacerdos celebrans vesperas non alia veste sacra quam veste talari cum superpelliceo utatur; nec incenset altare.

Concio vespertina (si habetur) in fine post "Fidelium animae" fiat, sed ante Benedictionem SS. Sacramenti.

Aliae devotiones publicae pro zelo ac prudentia Pastoris statuantur per annum. Nolumus tamen unquam omitti Devotiones quotidianas pro mense Majo; infra Octavam Corporis Christi; bis in hebdomade in Quadragesima; sacrum secessum, in occasione Primae Communionis; ac interdum sacram

missionem. In his ordinandis pius ac fidelis Pastor zelum suum fructuose exercet atque demonstrat.

Volumus ut pulcherrima oratio (Prayer for the Authorities) a primo Episcopo Americano pie concinnata, devote legatur ante sermonem, diebus Dominicis, praecipue dum sessiones legislativae singulorum Statuum ac Foederatorum celebrantur.

STATUTA DIOECESANA.

PARS SECUNDA.

DE IIS QUAE PASTOR AGERE DEBET UT SANCTIFICET POPULUM SUUM SCILICET DE SACRAMENTIS ADMINISTRANDIS ET VERBI DEI PRAEDICATIONE.

CAPUT I.

De Baptismo.

I.

SEDULO exponant Pastores populis sibi commissis voluntatem Domini nostri Jesu Christi misericordem omnes homines salvandi ideoque omnes efficiendi participes illius Sacramenti, in quo nisi quis renatus fuerit, non potest introire in regnum Dei. Ritum privati Baptismatis nec non obligationem illud impertiendi infantibus, imo et adultis, si desiderium ostenderint, in periculo mortis constitutis, iterum atque iterum inculcare non desinant.

II.

Meminerint, tamen, non sine urgente necessitate coerimonias solemnis Baptismi omittendas esse. "Neque enim," ut loquitur sanctissimus Pontifex Romanus, Benedictus XIV in Const. 89, ad num. 19, "sine gravi peccato negliguntur tam magni ponde-

ris tantaeque antiquitatis ritus atque ad reverentiam sacramento conciliandam maxime necessarii:" proindeque eos, qui urgente periculo, privatim baptizati, fuerint, quantocius ad Ecclesiam esse deferendos ut caerimoniae suppleantur.

III.

Concilii Baltimorensis Prov. I, Decreto XVI, relinquitur "Episcoporum ac missionariorum judicio, ut statuant quando sint urgendi fideles ut Infantes ad Ecclesiam deferant ut baptismus eis conferatur." Statuimus ergo omnes censendos esse ita obligatos, qui Ecclesiae in qua habetur Missa Statutis Diebus adeo vicini degunt, ut a sacro in ea audiendo ob locorum distantiam minime excusarentur; et hortamur ut Baptismus non ultra tres, vel quinque, dies differatur.

IV.

Unaquaeque Ecclesia habeat suum baptisterium nimirum locum in quo sub clavi conserventur:

1. Vas clausum aquam baptismalem continens.
2. Vas parvum et pretiosum ad infundendam, aliudque lapideum ad recipiendam, aquam in administratione sacramenti adhibitam.
3. Thecae argenteae olea sacra continentes, bombacium et vasculum salis benedicti.
4. Manutergia, ac candelabrum cum candela.
5. Scrinium librum baptismorum, stylos et atramentum includens.

V.

Juxta jus commune Locus Baptisterii est in ingressu Ecclesiae in parte Epistolae.

VI.

Sine aqua ad id benedicta, sive in Sabbato Sancto, sive in Vigilia Pentecostes, vel saltem secundum formulam brevem nostratibus per decretum Sac. Cong. de Prop. Fid., die 16 Oct., anni 1830 concessam, baptisma solemniter administrare non licet.

VII.

Ex concessione Sedis Apostolicae formula pro baptismo parvulorum adhiberi potest in abluendis adultis neo-conversis usque ad annum 1870 (et ultra si concessio renovata fuerit): verum animadvertant Pastores voluntatem esse Sanctissimi Domini Nostri, Pii IX, ut ubi sine incommodo gravi fieri potest, formula propria adhibeatur, et sic, sensim sine sensu, in usum communem deducatur.

VIII.

Sine uno saltem susceptore, seu patrino, Catholico atque usum rationis adepto, solemnitates Baptismi fieri vetantur.

IX.

Religiosi ac religiosae; nominatim excommunicati, haeretici, schismatici atque publici peccatores susceptores esse nequeunt.

X.

Memores Sacrae Theologiae principii, de tutiore parte sequenda, ubi agitur de valore sacramentorum, Pastores Baptisma sub conditione sequentibus conferant.

1° Infantibus expositis;

2° Baptizatis ab obstetricibus, vel a laico, nisi constet oculatis testibus rite fuisse peractum;

3° Venientibus a quacumque haeresi proprie dicta;

4° Quandocumque etiam diligenti indagine facta, moralis certitudo de valore Baptismi haberi nequit.

Verba sunt ista a Bened. XIV citata et commendata.

XI.

Baptizans solemniter debet esse veste talari superpelliceo ac stola indutus.

XII.

Olea Sacra Feria V, in Coena Domini consecrata, quam primum procurari ab omnibus Pastoribus debent. In Urbe scilicet ipsa Feria V.: In civitatibus Hamilton, Dayton, Springfield, Columbus, Chillicothe, vicisque vicinioribus, ante Sabbatum Sanctum: et in reliquis quantocius fieri poterit.

Reliquiae oleorum, ex anno praecedenti, in lampade, coram Sanctissimo Sacramento, comburantur.

XIII.

Peracto quovis Baptismate actus statim describatur in libro registrali qui potest esse formae sequentis, vel alterius—dummodo haec omnia perspicue exhibeat:

[Pagina.]

Anno, Mense, ac Die.	Nomen Baptiz.	Parentum.	Quando Natus.	Patrinorum.	Baptizantis.

Notandum etiam baptizatus non sit ex legitimo conjugio natus.

CAPUT II.

De Poenitentia.

I.

Post ineffabilem potestatem consecrandi Corpus et Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi, secunda est, in dignitate sacerdotali, auctoritas dimittendi retinendive peccata; in qua exercenda, sacerdos quidquid in se humanum est exuere, et seipsum alterum Christum, justum Judicem, peccatorum man suetum Patrem, medicum prudentem animarum exhibere debet, omnibus mediis alliciens peccatores ad confitenda peccata, et ad absolutionem rite suscipiendam.

II.

Crebris concionibus, invitet Pastor omnes ad frequentem confessionem, annuntians dies indulgentiarum et horas in quibus audiantur, quae commoditati populi, praesertim pauperum et operariorum, aptentur.

III.

Volens confiteri, quovis tempore, nunquam arceatur, aut dure recipiatur; sed juxta monitum Sancti Caroli Borromaei, confessarii "Poenitentes inconfessos non dimittant, nec aegre eos audire quoquomodo significent: sed e contra efficiant, ut poenitentibus innotescat sibi gratissimos esse pro illorum salute labores;" et verba sunt Synodi Augustanae: "Sacerdotes ad confessiones audiendas vocati, abrumpant omnem moram, et prompti eant quo vocati sunt, pleni desiderio juvandi animas."

IV.

Nullatenus propriis viribus confidentes confessarii sedulo munire debent contra insidias inimici, tum famam suam, tum virtutem. Unde sciant vetitum esse sub poena nullitatis absolutionis audire mulierum confessiones nisi crate interposita; se teneri confessionalia erigere in loco patente, in ipsa Ecclesia; et crates ponere in Sacristia, sed nonnisi pro surdastris. Etiam in *stationibus*, in quibus non licet celebrare nisi saltem quatuor milliaria distent ab ecclesia, crates, quae facile conficientur, sub eadem nullitatis poena pro excipiendis mulierum confessionibus, adhibendae sunt.

Quando autem de aegrotis agitur, portae cubiculi apertae sint.

Antequam accedant ad confessiones audiendas sese enixe Deo Patri Luminum, Immaculatae Virgini, et Angelo Custodi commendent.

In confessionali omnia suaviter, prudenterque peragant, nihil temere aut curiose interrogent, vel iracunde dicant, sed perpetuo meminerint, "Legatione Dei se fungi;" loquacitatem omnem sive propriam, sive poenitentis, abscindant, atque omnia ad emundationem animae emendationemque vitae unice dirigant.

V.

Ratione habita ad scientiam atque sinceritatem poenitentis prudenter judicet Confessarius, utrum et quomodo inquirendum ulterius sit in peccata sive commissionis sive omissionis, quae sunt uniuscujusque statui et conditioni propria: item utrum absolutio sit danda, neganda, aut differenda.

VI.

Ad audiendas confessiones Religiosarum in hac Dioecesi, sive claustrales sint, sive non, extra periculum mortis et deficiente Confessore proprio, requiritur a nobis specialis facultas et jurisdictio.

VII.

Si confessores mites esse student, tamen molles non fiant; nec peccatores publicos, vel consuetudinarios—verbi gratia ebriosos, impudicos, blasphemos, injustos, societatibus secretis addictos, unquam absolutos dimittant, antequam dignos fructus poenitentiae fecerint.

VIII.

Quae praescribuntur in Decreto III, Con. Prov. Cin. III, de confessionibus puerorum ac puellarum quater in anno accipiendis sacerdotes nostri peramanter exequantur. In istis quoque confessionibus audiendis eorum charitas ac patientia finem nesciant, memores, Illius qui dixit, "Sinite parvulos venire ad me et nolite eos prohibere;" studeant eos qui peccatum mortale contraxerint ad absolutionem rite recipiendam disponere et omnes ad odium et fugam peccati excitare.

IX.

Maxime caveant confessarii sigillum inviolabiliter servare. Scientia ex confessione accepta non utantur; quae in confessione acceperant, aut modum confitendi quorundum rudium non referant; non inducant poenitentes sibi soli confiteri; non complicis, imo nec poenitentis, nomen, inquirant, prolixa collo-

quia cum poenitentibus, praesertim foeminis devitent; judicium Dei, sibi, post singulas confessiones subeundum, timeant.

X.

Omnes confessarii apprime sciant casus reservatos tum Summo Pontifici tum Nobis, nec unquam sine speciali facultate ad hoc concessa quemquam ex eis absolvere attentent.

CAPUT III.

De SS. Eucharistia.

Triplici praesertim modo Augustissimum Eucharistiae Sacramentum ad sanctificationem populi maxime confert, zelum, devotionemque sacerdotis invitat et provocat:

1. Manens in Altari;
2. Expositum pro adoratione populi;
3. Traditum in communione.

SECTIO I.

I.

Tabernaculum in quo Sanctissimum Sacramentum conservatur, sit pretiosum, maximeque ornatum, intus et extra velo circumtectum. Sit tuto clausum cum seratura, cujus clavem Pastor ipse retineat in loco securo. Ciborium sit aureum vel argenteum: aut saltem vas, seu cuppa, sit ex argento inaurato; insistatque triplici lino mundissimo.

Praeter illud nihil prorsus aliud in Tabernaculo reponatur, vel videatur.

II.

Hostiae sint ex farina triticea, ac mundissima; sint azymae, bene coctae, formae plene rotundae, nec nimis tenues. Renoventur quoties pro humiditate loci remotissimum existit corruptionis periculum.

III.

Altare, in quo sistit Sanctissimum Sacramentum, ornatius sit aliis altaribus; et coram eo luceat lampas perpetuo ardens.

IV.

Ubi periculum est sacrilegae effractionis et desecrationis a latronibus, locum tutum decenter ornatum seligere debet Pastor, ibique noctibus ac tempore quo abesse ipsi contigerit, Sanctissimum Sacramentum reponere.

SECTIO II.

I.

Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi eo fine exponitur ut fidei, devotionis, atque amoris conspicientium sit occasio ac incitamentum. Unde Decreto VI, Con. Prov. Cin. III, inhaerentes, jubemus illud Augustissimum Mysterium minime exponi adorandum nisi ex causa publica et a nobis approbata, ideoque: —

II.

Jus commune hujus nostrae Provinciae ex Decreto jam praedicto permittit Expositionem Sanctissmi, cum Benedictione semel:

1. Singulis Diebus Dominicis per annum: aut mane, aut vespere
2. Singulis Festis de Praecepto;
3. Semel per hebdomadem in aliqua die Feriali durante Quadragesima, excepta Heb. Maj.;
4. Festo Patronali Ecclesiae;
5. Singulis diebus infra Octavam Corporis Christi;
6. In Festo Sacratissimi CORDIS JESU;
7. Ubi nostra licentia fit in "adoratione Quadraginta Horarum;"
8. Bis in Sacris Exercitiis tradendis per octiduum, vel septimanam.

III.

Non est exponendum dum Vesperae cantantur nec dum Missa celebratur, nisi in Festo Corporis Christi, aut infra ejus Octavam, et nisi Missa sit solemnis.

IV.

Processiones in quibus defertur Sanctissimum Sacramentum extra muros Ecclesiae sine nostra licentia nullatenus fiant.

V.

Ritus in Caerimoniali ac Manuali prescripti ad amussim serventur. Benedictionem cum Sanctissimo Sacramento dare sine duodecim saltem candelis accensis, vel sine ostensorio, velo humerali, pluviali, thure genuino, id est, non ex saccharo, aut resina, vel sine cantu, prorsus interdicitur.

VI.

Benedictio cum sanctissimo, reverenter, graviter, sine festinatione, fiat. Consuetudo canendi vel Litanias Lauretanas, vel saltem duo alia cantica, praeter "*Tantum Ergo*" maxime nobis arridet.

VII.

Benedictio cum ciborio dari potest ad bene placitum pii ac discreti Pastoris pro aedificatione adstantium.

SECTIO III.

Summa et perfectio vitae Christianae est digna Corporis et Sanguinis Domini susceptio. Ad hanc ordinantur omnia sacramenta, orationes, jejunia, actiones virtutum. Haec "nos divinae naturae consortes" facit, super omnem ordinem angelicum animam attollit, Deoque agglutinat unione, cujus consummatio est Vita Beatorum. Ita de communione Pastor sentiat, gregemque edoceat. Ostendat dulcedinem hujus sacri convivii ut accedant; praedicet majestatem, ut digne et reverenter sumant.

II.

Confraternitates, et sodalitates, in quibus exisit consuetudo suscipiendi Sanctissimam Eucharistiam statutis diebus, ex. gr. semel vel saepius, in mense, valde commendamus; imo Pastorem, qui hujusmodi non foveret officio suo deesse censemus. Attamen solerter attendendum est, ne pietas ista in jactantiam cat, et ne propter usum, aut propter timorem infamiae, ullus sodalium indigne sumat.

III.

Maxime cordi nostro esset ut Communiones Generales Sodalitatum, seu confraternitatum, si aliquoties in sacellis collegiorum aut conventuum, frequentius tamen in Ecclesiis Parochialibus fierent, tum ut Sanctissimum Sacramentum a pluribus honoretur, tum ut hujus salutiferae actionis bonus odor latius inter fideles diffundatur, atque demum, ut socii confraternitatum illis pietatis operibus assuescant, quae, et a sociis remoti, nec deserent, nec negligent.

IV.

Maxima cura impendatur in prima parvulorum Communione utpote, quae, bene facta, maximas secumfert gratias, male autem, damnum immensum. Dies, in quo omnes simul purvuli ad Mensam Domini admittendi sunt, statuatur populoque annuntietur per decem saltem hebdomades, quovis anno vel biennio.

Moneantur patresfamiliae ut nullatenus domi parvulos retineant, et ipsi juvenes ad instructiones speciales venire compellantur. Teneat pastor omnium nomina accurate scripta, in causas absentiae inquirat, nec quemque excuset negligentem. Longe ante diem statutam confessiones generales excipere inchoet ut et confessio plenior accuratiorque fiat, et ut emendatio vitae firmior obtineatur. Solemne habeat, tribus ante diebus exercitia secessus sacri omnibus communicantibus tradere ut eos crebris instructionibus atque orationibus paratiores Domino sistat. In ipsa die sit Ecclesia ornatior, Altare magis pulchrum, Missa solemnior. Ante Com-

munionem fiat adhortatio brevis, et renoventur ab omnibus vota in baptismate emissa.

Nolumus pueros ad primam Communionem admitti ante duodecimum annum.

V.

Non decet quemque praeparatum communione privari, etiam si extra Missam communicari petierit. Invigilet tamen Pastor, ne hoc propter levitatem fiat, et ne in usum, seu verius, abusum, absque necessitate, cedat.

VI.

Juxta sensum Ecclesiae, contra Jansenianos expositum, praxis frequentis Communionis foveatur atque commendetur, servatis, ut par est, iis quae ad debitam reverentiam ergo Sanctissimum Sacramentum conciliandam spectant.

VII.

Communio Paschalis in hac Dioecesi facienda est inter Primam Dominicam Quadragesimae et Dominicam SS. Trin. inclusive, in Ecclesia Parochiali; nisi a legitime impeditis, quos omnes Pastor cognoscere debet, ut alibi communicandi iis facultatem praebere queat.

VIII

Omni conatu Pastor efficiat ut nulla anima ipsi commissa sine Sacro Viatico ex hac vita migret. Cognoscat conditionem aegrotorum, ac nimiam moram, in iis visitandis, et adjuvandis, maxime timeat. Deferens, porro, Sanctissimum moribundis, omnem quae possibilis erit solemnitatem adhibeat, praeparata mensa, luminaribus accensis totoque cubi-

culo quam optime strato, ubi evenit illa res mirabilis scilicet: "Manducat Dominum, pauper, servus et humilis."

IX.

Omni studio zeloque laboret Pastor ut praxim piissimam visitandi D. N. I. C. in Sanctissimo Sacramento diu noctuque praesentem, foveat, fidelibusque sibi commissis, opportune, importune, commendet.

CAPUT IV.

De Sacramento Confirmationis.

Unusquisque Pastor conveniat nobiscum sive quotannis, sive singulis bienniis, de die Confirmationis administrandae in sua Missione. Diem statutum annuntiet populo saltem per praevias sex dominicas, exponens naturam necessitatemque istius Sacramenti; iterum iterumque adhortans praesertim adultos, qui nondum confirmati sunt, ut hoc Sacramentum non negligant. Tempore approquinquante, instructiones speciales de dispositionibus ad Spiritum Sanctum rite suscipiendum in Ecclesia fiant.

II.

Non admittemus ad Confirmationem eos qui scriptum testimonium sacerdotis approbati non habent; nec offerantur nobis qui nesciunt mysteria principalia Religionis, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, praecepta Dei, et Ecclesiae, Actus Fidei, Spei,

Charitatis, ac Contritionis, nec non, speciali modo, naturam et effectus sacramenti.

III.

Non admittantur ad Confirmationem nisi qui Sacra Communione refecti fuerint, quique, proinde, annum aetatis suae, saltem duodecimum non inceperint.

CAPUT V.

De Sacramento Ordinis.

I.

Pastor animarum in hoc maxime fidelis servus et prudens ostenditur, si ex iis quos, in Jesu Christo per Evangelium gignit magnus numerus, praesertim melioris indolis ac ingenii, sortem Leviticam sibi eligat. Parvuli enim venerantur quod Pastor reddit venerabile, ibi congregantur oves ubi Pastor pascua ostendit, nec bonum certamen certasse videtur, is cui post plures annos missionarios in aliquo Districtu dici nequit: "Filii tui," clericali militiae tuo opere adscripti, "sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae."

II.

Si Pastor parvulos gregis speciali charitate prosequitur, specialissima sit ejus cura circa hos quorum indoles melior, ingenium acutius, conversatio magis pia, indicium futurae ad statum Ecclesiasticum vocationis praebent.

Omni industria, amorem et confidentiam eorum

conciliet, pietatem foveat, atque singulari ratione eos in virtutibus, et etiam in scientiae sacrae rudimentis, instruat.

III.

Accurate de vocatione Ecclesiastica parentes edoceat ne, impietate eorum, qui filios ad Altare propter turpis lucri spurcitiam non vocatos et indignos sistere non perhorrescunt, vel cupiditate eorum qui eosdem ab altari avertunt, ut divitiis sordidis saeculi et honoribus vanis inhaereant, Dominus Noster Jesus Christus fraudetur suo.

IV.

Saepe in concionibus publicis et colloquiis privatis fideles sibi commissos moneat de obligatione Seminarium Dioecesanum sustentandi. Hoc faciat in Ecclesia maxime eo tempore in quo annuae collectae in hunc finem sunt faciendae: et privatim, si forte, consilium dare pias legationes facturis, ipsi contigerit. Volumus morem apud nos existentem, quo Pastor per seipsum collectas pro Seminario facit, perpetuo firmari.

V.

Hortamur omnes Sacerdotes nostros nil intentatum relinquere quod ad conciliandam venerationem atque amorem erga studia sacra conferre potest. Interveniant quando possunt actibus Publicis Theologiae ac Philosophiae in Seminario, ac solemnitatem *Examinationum* concursuumque augere, pro viribus satagant.

VI.

Pastor, in cujus Paroecia Clerici Seminarii, schola vacante, degunt, eos cum omni bonitate excipiat,

consilium benevolum ac prudens de sociorum selectione, nec non de occupatione temporis, praebeat. Paterna solicitudine super eos invigilet, efficiatque ut Sacrum quotidie audiant, ad alias functiones in Ecclesia assidui sint, et ut in catechizandis rudibus eum libenter adjuvent. Demum si aliquid minus rectum, seu statui Levitico alienum, in eis animadverterit, aut nos, aut Seminarii Superiorem, prompte et fideliter certiores faciat.

CAPUT VI.

De Extrema Unctione.

I.

Hora extrema qua magis grassatur rabies infernalis contra animas fidelium, magis etiam accendatur sacerdotalis charitas quae, opportunis auxiliis, a sapientissimo atque amantissimo Salvatore nostro provisis, inimicum conterat. Moneantur fideles, ut, si qua curam infirmorum exerceant, horam agoniae, vel qua mors instat, minime expectent, sed ut advocent Presbyterum eos uncturum oleo in nomine Domini, eo tempore quando oratio fidei ipsos adhuc salvare potest, vel saltem quando viribus confitendi adhuc manentibus, peccata in quibus non raro inplicantur, remitti eis poterunt.

II.

Vocatus ad infirmos nullam sacerdos interponat moram, nisi ob necessitatem, sed statim invisat, ad poenitentiam excitet, ad confitendum alliciat con-

fessisque Extremam Unctionem illico administret Si tamen infirmi sunt jam sensibus destituti, debent, ungi, dummodo possint absolvi.

III.

Non sit contentus bonus Pastor ea tantum infirmorum visitatione in qua Sacramenta confert, sed pluries eos visitabit, cum eis orabit, ad actus Contritionis, Fidei, Spei, Charitatis, et conformitatis Voluntati Divinae eorum animos excitabit, et extremo momento rituales preces fundet. Haec faciens hisque immorans et suo rite fungetur munere, semper novos intercessores apud Deum sibi acquiret, et adstantium maxime vero propinquorum, saluti et reverentiae providebit.

IV.

Maxima cautela abstineat sacerdos aegrotos invisens, non tantum a reatu sed etiam ab omni prorsus suspicione, avaritiae, si consilium infirmis porrigere de dispositione temporalium ipsi contigerit. Quantum potest omne onus conficiendi Testamentum scriptum, vel illud exequendi, constanter recusabit. Si tamen hujusmodi auxilium praestare, charitate et circumstantiis in quibas versatur, cogitur, testes adhibeat, praesertim eos qui haeredes se censent, de omni verbo morientis, ut, occurrente necessitate, ad ejus integritatem vindicandam idonei fiant. Nunquam vero nisi ob gravissimam causam et obtenta dispensatione, tutelam puellarum suscipiat.

V.

Solerter intelligat sacerdos, curam animarum

agens quae in Rituali Romano statuuntur de iis quibus deneganda est sepultura Ecclesiastica. In dubiis, nil temere decernat, neque denegans, neque concedens sepulturam, nobis inconsultis.

VI.

Praecipua sit ipsius cura ut in loco bene septo, rite benedicto, a sordibus et immundis animalibus immuni, sepeliantur corpora sanctorum, quondam Christi Tabernacula et Spiritus Sancti templa, inde in voce Archangeli et in tuba Dei e pulvere in resurrectionem Vitae processura.

CAPUT VII.

De Matrimonii Sacramento.

I.

Sacerdotes in concionibus imo et omnimode apud fideles magnam existimationem sanctitatis, indissolubilitatisque vinculi Matrimonialis inculcent, eo magis quia, apud acatholicos, concives nostros, hoc "magnum Sacramentum" semper plus in dies ad instar brutalis conjunctionis deprimitur ac traducitur.

II.

Doceat Pastor tum parentes, tum habiles ad contrahendum, statum hunc non esse ineundum, sacramentum hoc non esse suscipiendum, temere aut inconsulto, nec ad augmentum divitiarum vel dignitatis, sed ad caste pieque vivendum et ad salutem animarum, tum contrahentium, tum eorum quos, fructus conjugii, Deus concesserit, adsequendam.

III.

Matrimonium inituri sunt invitandi ad Sacramentum Poenitentiae suscipiendum, aliquot saltem diebus ante diem nuptialem, ut Pastor eorum dispositiones scire queat; ut in impedimenta inquirat, et ut eos a peccatis absolvat. Si tamen absolvere nequit, potest quidem in tribunali consiliari dilationem matrimonii, sed extra tribunale, debet ita se gerere ac si absolutionem impertierit.

IV

Proclamationes bannorum fiant tribus Diebus Festis aut Dominicis ante matrimonium. Si ab iis, ob rationes validas, contrahentes, pastoribus noti, dispensentur, quinque saltem thaleros, pro seminarii sustentatione solvant.

V.

Ad hoc sacramentum "Nullus," ut legitur in Dec. XV. Syn. Balt., Dioec. I, atque ut res ipsa clamat, "admittatur, qui doctrinam Christianam aut principalia fidei mysteria ignorat. Tales tamen pastor benigne excipiat, patienter instruat, ac ad sacramentum disponat. Interdum, vero, gravi urgente causa, atque promissione exacta quam primum quae necessaria sunt addiscendi, etiam hujusmodi nubere permittat."

VI.

Valde in votis habemus ut consuetudo matrimonia celebrandi sub vespere, de medio tollatur, et mos sanctus, ab Ecclesia approbatus, contrahendi mane infra Missarum solemnia ubique sufficiatur.

VII.

Quae de Bannorum publicatione statuta in Conciliis Baltimorensibus inveniuntur in omnibus Ecclesiis ubi quavis Dominica celebratur Missa adamussim serventur.

VIII.

Dispensationes super impedimentis matrimonii sunt a nobis petendae pro singulis vicibus tempestive, nec unquam per modum qui petitionem infidelibus patefacere possit, id est: "per Telegraph."

Si tamen Pastor propter distantiam locorum nequit dispensationem petere ac responsum habere infra spatium viginti quatuor horarum, et si causa urget, poterit ipse, expletis requisitis, dispensationem super impedimentis Disparitatis Cultus ac Communionis impertire, factum deinde referens nobis. Potest etiam quivis Pastor absolvere, rite poenitentes, eos qui illicite — non tamen invalide, — Matrimonium contraxerint.

IX.

Experientia diuturna, atque rarissime interrupta, Ecclesiae judicium vindicat quo Matrimonia mixta semper est detestata. Moneat ergo Pastor instetque importune, opportune, apud Parentes, ut, omni conatu, prolem suam a jugo portando cum infidelibus et haereticis avocare et arcere studeant. Caeterum, ubi agitur de casu particulari, circumstantiae atque indoles partium caute, prudenterque sunt perpendendae, praesertim quia maxima apud nos invaluit adolescentium libertas, et omnino providendum est, si conjugium dissuadere nequit, ut insistat saltem sequentibus conditionibus, quibus non observatis,

cum haereticis non licet, et cum non-baptizatis non valet, matrimonium.

Pars acatholica solemniter promittere debet parti Catholicae:

1. Liberum exercitium suae Religionis; 2. Baptismum et educationem prolis utriusque sexus in fide Catholica.

Praeterea, tempore Matrimonii contrahendi spes rationabilis de conversione partis acatholicae ad fidem debet existere.

CAPUT VIII.

De Praedicatione Verbi.

SECTIO I.

I.

Omnes sacerdotes curam animarum habentes obligationem sibi incumbere praedicandi Divinum Verbum apprime intelligant.

Monet Sacrosancta Tridentina Synodus, Sessione V, Cap. II, de Ref.:

"Omnes animarum curam habentes districte teneri vel per se vel per alios idoneos si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis et Festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate, pascere salutaribus verbis, docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia quae eos declinare et virtutes

quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant."

II.

Monemus ergo sensumque nostrum esse declaramus, nullum Pastorem concionem, aut instructionem catecheticam, praetermittere diebus Dominicis ac Festis tuta conscientia, posse.

III.

Hortamur omnes, ut praedicationi Verbi fideliter instent. Non praetermittant admonitiones salutares quando sacramenta solemniori modo administrant, nec laborem adhortandi sodalitates recusent. Triduanas ac Novenas Devotiones in honorem Immaculatae Virginis Mariae et aliorum Sanctorum docendo foveant, et sacras missiones suis ovibus interdum procurent.

IV.

Perversos et indifferentes moneant, arguant obsecrentque cum omnia patientia et doctrina; in peccata prosilientes zelo apostolico, corripiant; sed peccatoribus, nisi ob gravissimam causam nobis recognoscendam, nominatim parcant.

Sanam doctrinam bene excogitatam populis praebeant: "Docendo," juxta Dec. XII Con. Balt., Prov. VI, "non vana vel intricata, sed quae scire omnibus necessarium est ad salutem, non quae admirationem erga loquentem provocent, sed quae ipsorum audientium aedificationem et pietatis incrementum promoveant;" et cavendo, juxta praescriptum in Conc. Cin., Prov. III, Dec. XII, ne in praedicando Verbo Divino dum abusus ac scandala

apostolica libertate assectantur, leges arbitrarias inducant, ea repraesentantes velut lethalia, et mortifera peccata, quae, Judicio Canonistarum, et Moralistarum, non sunt nisi levia, vel nulla, ut ex. gr. sunt quidam ornatus muliebres, convivia festiva, et alia hujusmodi

V.

Praeter instructiones Dominicales ac Festivas, volumnus saltem unam quavis Hebdomade Quadragesimali, numquam praetermitti.

VI.

Pro ratione ac frequentia praedicationis consilium sumant sacerdotes nostri, non ex ignavia carnis, vel vanitate spiritus, sed ex charitate Christi. "Trahit sua quemque voluptas," et jam mundus vix continet libros quibus homines perditi, vel vani, laudibus prosequuntur falsa, ac stulta, quae in portionem suam insulse elegerunt. Nos, autem, quos elegit Dominus in haereditatem sibi, ostendere decet, quae mundi sunt respuentes, publice et privatim, mane ac vespere, in plateis, ac cubiculis, Christum Crucifixum esse laetitiam cordis nostri, requiem nostram in saeculum saeculi.

SECTIO II.

I.

Charitate sacerdotali expers profecto consendus esset Sacerdos qui non sineret parvulos ad Christum venire, id est, qui, eos negligentia sua, a Christo alienari sineret. Decreto VI Con. Cin. Prov. II: "Omnes Pastores consentur sub gravi teneri, in

unaquaque paroecia, seu congregatione, sibi subdita, scholam Catholicam providere, a cujus observatione decreti, sola excusat impossibilitas, quae pro Sacerdote pio et animoso vix existet.

II.

Nostrum est judicare ex annua relatione Pastorum de eorum proventibus, utrum et quousque talis impossibilitas in aliqua congregatione admittatur.

III.

Exceptis Augustissimi Sacrificii Missae oblatione atque Sacramentorum administratione, sacerdos omnibus aliis muneribus officii sui scholam anteponendam existimet. Nihil nisi quod sit absolute necessarium incipiatur sive in Ecclesia, sive in domo Pastorali; antequam schola habeatur et florescat.

VI.

Pastor debet esse, per se, scholae parochialis, Rector principalis. Ipsius est ludimagistrum eligere, regere, atque, interveniente causa, salva tamen nostra auctoritate, destituere; libros adhibendos designare, classibus discipulos partiri, normam agendorum quotidianam totamque disciplinam praescribere. Nolumus tamen ipsum punitionibus puellarum intervenire; multo minus eas infligere, aut in protervitate puerorum coërcenda a spiritu lenitatis deficere.

Meminerit Pastor finem principalem studiorum esse salutem animarum et primum locum semper

cedat instructionibus quae ad fidem ac pietatem pertinent. Pro viribus enitatur ut omnes quotidianam Missam audiant; ut Doctrinam Christianam, hymnosque sacros apprime discant et ament; ut solemnitates Ecclesiasticas intelligant, ipsamque Ecclesiam venerentur ac diligant, vitia abominentur, virtutes sectentur, piis, non vanis lectionibus, incumbant.

VI.

Curet etiam ut alia studia bene et propter Deum maximopere provehantur. Studeat scholas suas excellere, non solum quoad disciplinam, sed etiam quoad instructionem saecularem, scholis publicis. Sic optime calumnias haereticorum, qui eam ignorantiae arguunt, refellet, et honorem Sanctae Ecclesiae maxime promovebit.

CAPUT IX.

De Bonis Ecclesiasticis.

I.

Ut ex Jure Divino (Act. App., cap. iv, v, vi) et Ecclesiastico, nec non ex Canonicis Sanctionibus Conciliorum tum Provincialium tum Oecumenicorum, sensuque fidelium omnium saeculorum, patet, administratio bonorum Ecclesiae exclusive ad Episcopos, quos "Posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei," pertinet Act. App. xx, 28.

Unde instrumenta legalia quibus terrae vel aedificia Ecclesiae tenentur nobis haeredibus et testamentariis inscribantur. Hoc tamen non est intelli-

gendum de bonis quorumdam Religiosorum quae, juxta eorumdem constitutiones, ab iis possidentur ac transferuntur.

II.

Quivis Pastor Congregationis, cum restrictionibus infradicendis, personam auctoritatemque Episcopi, in administratione temporalium ad suam Ecclesiam pertinentium, gerere censetur.

III.

In eo tamen munere fungendo bene potest adhibere coadjutores laicos dummodo seligantur ex congregatione pii, probi, sagaces, prudentes, et pacifici. Mala et scandala quae Ecclesia in Statibus Unitis ex laicis Aedituis passa est temporibus retroactis, effecerunt, ut jure tanquam suspectos administratores eos, tum Sancta Sedes Apostolica, tum omnes boni, haberent, unde nec tolerantur quidem, nisi sub iis conditionibus, quae omnem dominatus ac auctoritatis in res sacras speciem prorsus excludant, eosque designent clare, non Congregationis repraesentantes, sed Pastoris adjutores, juxta normam, Decretis Concilii Prov. Cin. III ac Neo-Eboracensis VII, anno 1861, habiti, praescriptam, quae his adjuncta in loco proprio reperitur, inter Acta et Decreta Conc. Cin. Prov. III.

Ut quis habeat vocem in Electione provisorum debet esse locator sedis in Ecclesia, Communionem Paschalem facere, ac viginti et unum saltem annos aetatis habere.

Pastor ipse invigilet ut Electiones Consiliariorum sine strepitu et tumultu fiant, eo modo quo de-

cet filios Dei qui sua non quaerunt, sed quae sunt Jesu Christi.

Solerter etiam provideat, ut qui ex aedituis Aerarius deligitur, de fideli custodia aut dispendio eorum quibus praeficitur, cautionem bonam atque amplam praebeat. Item invigilet ut secretarius rite et exacte suo munere fungatur, ita ut status Thesauri Ecclesiae ex libris suis quovis tempore, illico inspicienti innotescere queat. Similiter ut omnes in suo officio contineantur; ut nihil disperdatur aut pereat incuria; ut aedificia perpetuo cautionata adversus incendia teneantur, et omnia ad Cultum Divinum requisita debitis temporibus praesto habeantur.

Unusquisque Pastor, vel eo absente, vicarius ejus coëtui consiliariorum, jure officii sui, praesidet.

Si consiliarii a Pastore dissenserint, vel ei cooperari in bonum populi recusaverint, lis Ordinario dirimenda deferri debet.

Non sane sine causa gravissima latum est Decretum XI. Con. Cin. Prov. I, de incauta ac improvida a sacerdotibus acceptatione pecuniae in *depositum*. Illud rursus innovamus iterumque monemus quod saepe jam in litteris Pastoralibus aliisque Statutis declaravimus, ordinarium nullam prorsus obligationem personalem contrahere solvendi debita, sive sacerdotum sive congregationum. Unaquaeque congregatio onus suum portabit, propriisque necessitatibus subveniet. Uniuscujusque tamen bona Ecclesiastica, pro debitis, nostra licentia prius scripto recepta, contractis, obnoxia esse consentur et erunt.

Salaria Pastoris atque Vicariorum ab Ordinario

pro singulis determinabuntur. Volumus tamen in Urbe Primum Pastorem quadringinta, secundum tercentum quinquaginta, scutata recipere, praeter Domum, et quae ad eamdem illuminandam calefaciendamque pertinent, cum integra supellectili necessaria.

Velut medium promptum, atque efficax jurgia ac accusationes arcendi, Pastorumque bonam famam tuendi, operae praetium duximus habere et conservare in cancellaria nostra, descriptionem plenam et exactam omnium bonorum mobilium et immobilium ad unamquamque Ecclesiam, scholam, Domumque Pastoralem pertinentium, juxta, schedam tabulis contentam, quae jam Anglice exarata est et pastoribus traditam:

Cincinnati, ———— 18—

Rev. Dear Sir:

Please send, within the shortest convenient time, the answers to the following questions:

1st. What is, as nearly as you can ascertain, the number of souls in the Congregation or Missions under your care.

2d. What the number of children attending the Church School, if there be one, and by whom taught.

3d. How the Church Service is conducted on Sundays and Holidays. If there be High Mass, Sermon, or Instruction, Vespers, and Benediction of Blessed Sacrament.

4th. The number of Paschal Communions.

5th. If there be a Blessed or Consecrated Cemetery, and if it be inclosed—any thing allowed to trespass on it—no animals pastured therein.

6th. The income of the Church and Missions, from rent of Pews, Annual Subscriptions, Sunday and Festival Collections, and the specification of the Expenditures.

7th. The debts of the Church, if any.

8th. Its present condition—if large enough, in good repair, and conveniently situated for the accommodation of the greater number of the Congregation.

9th. The number and condition of the Sacred Vestments, Chalices, Ciboriums, Missals, Altar Cards, and all other articles of Church Furniture.

10th. If a lamp be kept always burning before the Most Holy Sacrament.

11th. The number of Baptisms, Marriages, and Deaths annually.

12th. If there be a Pastoral Residence, enumeration of its Furniture. If all belong to the Congregation.

13th. If obliged and permitted to say two Masses on Sundays and Festivals; if in the same or different Churches; and, if in different, how far apart.

14th. If there be a Mission occasionally preached to the Congregation.

15th. What Sodalities.

STATUTA DIOECESANA.

PARS TERTIA.

DE VITA SACERDOTIS.

Monitum Generale.

I.

FILII in Christo dilectissimi, ut omnes vias vestras rite dirigatis, illud prae oculis esse debet quod tradidit Spiritus Sanctus omnibus Christianis, sed quod specialissima ratione convenit Sacerdotibus Altissimi.

"VIDETE VOCATIONEM VESTRAM."

Ministri estis Christi et Dispensatores Mysteriorum ejus: Legatione Dei fungimini: assumpti estis ex hominibus "et pro hominibus constituti in iis quae sunt ad Deum ut dona et Sacrificia pro peccatis offeratis." Inter vestibulum et Altare statis ut ploretis et clametis, "Parce, Domine, parce populo tuo;" "Vos estis lux supra montem posita sal terrae, lumen mundi. Itaque immaculati in via sitis, et in lege Domini ambulate. Custodite vos ab hoc saeculo nequam."

II.

Ad hunc finem assequendum, ille, cujus afflatu desiderium ingrediendi Sanctuarium olim concepistis, cujus virtute characterem potestatemque sacerdotalem sortiti estis, Divinus Spiritus, Maria Immaculata intercedente, vos confirmabit solidabitque. Verum dum oculos semper, ad montem, unde venit auxilium vobis, levatos tenetis, interea, quod in vobis est minime negligatis, sed "cum metu et tremore salutem vestram operamini."

III.

Unusquisque saepe in mentem revocet finem vitae sacerdotalis; omnia quae de eo audivit, legit, cogitavit, antequam onus sacerdotale susceperit; affectiones ac proposita quae concepit, atque vota quae, coram Episcopo ipsum ordinante, distinxerunt labia sua. Caveat ne unquam divitem factum esse se ipsum existimet, quia nonnisi in Patria anima bonis saturabitur; nec satis jam progressum, aut instructum, se, quovis tempore, putet. E contra magis in se augere abominationem peccati, timorem et fugam occasionum, spiritum orationis ac poenitentiae, in dies satagat; necnon monita et adhortationes semper libenter audiat.

IV.

Sacerdos vir orationis esse debet vitaeque interiori deditus, ut officium suum adimplere valeat. Si enim vagum ac indisciplinatum spiritum suum inter res exteriores dissipari permittit, non solum amittet plenitudinem gratiae quam Deus humilibus concedit, sed etiam plus aliis subjicietur vanis cogita-

tionibus, desideriisque otiosis, nec potest, vel se, vel alios dirigere.

V.

Itaque imprimis instet orationibus die et nocte, praecipue in Sacrosancti Sacrificii oblatione de qua supra egimus; sed et in recitatione Divini Officii, et coronae; in visitando SS. Sacramento Altaris, et in quotidiana meditatione, sit semper indefessus.

VI.

Usum facultatis substituendi Rosarium pro Breviario, quam necessitate impeditis a recitatione ex benignitate Sanctae Sedis Apostolicae concedimus, minime quidem vetamus: Attamen praetermissa quaestione de obligatione stricta, hortamur enixe, ut nemo facile quamcumque causam esse impedimentum legitimum existimet. Omnium orationum praestantissimas esse horas canonicas inde colligitur, quia solae horae canonicae ab Ecclesia, velut de praecepto, praescribuntur. Unde omnes aliae iis sunt posthabendae; et experientia multorum piorum missionariorum demonstravit, rarissimo evenire, ut impediatur a recitatione Breviarii, qui firmiter proponit non impediri. Vel enim, anticipando, vel diligenter utendo momentis huc illuc inter occupationes dispersis, vel conversationes non omnino necessarias abrumpendo, potest fere semper horas integre perficere.

VII.

Ad devotam Divini Officii recitationem multum confert, si tempus ac locus prudenter seligantur — tempus, nimirum, a rubricis praescriptum, locus semotus ab omni sensuum distractione.

VIII.

Meditatio quotidiana saltem per dimidiam horae partem mane perficiatur. Attamen si tunc impediri contigerit, minime ob hanc rationem omittatur; sed, sicut refectio corporalis, si differtur, non omittitur, ita spiritualis cibus quotidianus quovis diei tempore sumatur.

IX.

Statuet quisque sibi tempus etiam pro examine conscientiae recitatione Sanctissimi Rosarii, visitatione Sanctissimi Sacramenti Altaris; et praesentiae Dei, " in quo vivimus, movemus, et sumus" immemor non sit.

X.

Praecipua tentationum scaturigo sacerdotibus solet esse otiositas mentis. Nemo ergo propter labores jam exantlatos unquam vitae suae regulam relaxet. Tempus quod non consumitur in sacrificio offerendo, in sacramentis administrandis, in visitandis infirmis, in laudibus divinis persolvendis, in schola regenda ac perficienda, dempta legitima ac regulata relaxatione, orationi, scriptioni, lectioni detur.

XI.

Spiritui orationis, odium et fugam mundi, sacerdos adjungat. Memor sit vocationis suae, ut quid Sanctuarium est ingressus, ut quid vitam suscepit in cujus ipso limine, jam Pater, a populo est salutatus. Nihil ad ipsum luxus mundanus, nihil voluptas carnis, nihil superbia mentis. Fugiat negotia saecularia, comessationes, vana spectacula, aemulationes factionum, rixas familiarum, fascinationes

nugacitatis, tumultus hominum, foeminarum consortium.

XII.

Mundum fugiet si fide vivet. Praeponat fidem regnis et sedibus, et divitias nihil esse ducat in comparatione illius; vendat omnia quae habet ut emat agrum illum, det omnes quas habet margaritas — honorem, salutem corporis, ingenium, vitam ipsam, ut sibi eam comparet. Juxta fidem omnes cogitationes, affectus, opera dirigat. Teneat firmiter integram doctrinam Ecclesiae Catholicae; non solum quod continetur in symbolis, ac decretis dogmaticis SS. Pontificum, sed etiam quod docet sensus traditionalis Ecclesiae. Reverenter suscipiat, praeterea, judicia Theologorum probatorum, nec ea rejiciat petulanter, aut sine clarissimis, ac solidis rationibus, etiam in rebus minoris momenti.

XIII.

Sicut fidem corde firmo tenet, ita ore, ac vita fateatur. Alia studia, alias scientias praetermittat nisi ad fidem, vel in se, vel in aliis firmandam, aut augendam, conferant: quidquid docet sive ore, sive scripto, ad fidem tuendam, et ad haeresim confundendam, ad infidelitatem extirpandam, tendat. Inspicienti certe constat vineam Domini satis vastam apud nos esse, ut nemo fidelis cujuscumque indolis vel ingenii otiosus in platea stare debeat. Errores omnigeni ex cujusvis genere falsi nominis scientiae desumpti, refutandi et radicitus evellendi sunt.

Libri scholarum nostrarum, ut corrigantur et emendentur, plurimo labore adhuc indigent. Innumerae quotidie erumpunt Ephemerides — in qui-

bus vel renovantur antiquae, vel cuduntur novae calumniae contra sanctissimam Christi fidem, ut animas illaqueent. Huc etiam confluunt populi ex omni Europae plaga — greges, sine Pastoribus errantes, quos ad pascua allicere nostrum est. Hic quoque est numerosa juventus utriusque sexus, cui praebendi sunt libri quos, salva fide ac innocentia, legere possunt. Inde patet *operariis* Dominum in vinea sua indigere. Reprobatione digne plectitur miles qui, saeviente praelio, spolia colligit; eo magis damnandus esset sacerdos qui, dum inimicus circuit per scholas, spargens ephemerides, atque sermocinationes ad interfectionem animarum, quae sua sunt quaereret, non quae Jesu Christi.

XIV.

Inter labores, quos afflatu fidei, invictus aggreditur, memor sit sacerdos illius Spiritus Sancti sententiae, "Bonum est sperare in Domino." Sit Jesus Christus crucifixus, in quo Fides invenit omnem sapientiam, ejus virtus invincibilis. Huic insistens nec frangatur dejectione nec extollatur praesumptione.

Saepe in nostris regionibus saevientes factiones vel minantur, vel bona pollicentur. Qui sperat in Deo, et non in homine, nec ad sinistram neque ad dextram, his divertetur. Totum consilium Dei annuntiabit, nihil haesitans. Quando consistunt adversus eum castra, non timebit, neque a prudenter incoeptis operibus desistet: et similiter cum, blandimentis ac pollicitationibus, eum allicere conantur, non decipietur, nec fide eorum, nova opera suscipiet. Priores, qui habitat in coelis, facile irridebit; et

posterioribus non est fidendum quia "vana salus hominum."

Item bonus Pastor dum ovibus suis necessaria suppeditare enititur, ad Deum, pro incremento frugum justitiae suae, oculos conjiciet. Pro viribus, praedicat Verbum, Sacramenta dispensat, admoniones ac consilia tradit, errantes quaerit, collectos fovet; aedificia augmentat, vel renovat; sciens tamen, finem felicem operum suorum, a Dei gratia esse repetendum, pro Illo laborans, in Ipso sperans, non confundetur.

XV.

Si in simplici Christifideli caeterae omnes virtutes nihil valent sine charitate, multo magis, ea deficiente, in sacerdote evanescunt. Sine charitate fides est sterilis, spes vana, zelus indiscretus, pietas ficta, justitia manca, prudentia, calliditas timida et coeca, temperantia imperfecta; orationes non auditae, admonitiones rixosae, commendationes assentationis plenae, molitiones ambitiosae, calamitates irremediabiles. Legantur quae pulcherrime de hac virtute traduntur a Divo Paulo Apostolo in I. Ep. ad Cor., cap. xiii.

XVI.

Charitas eluceat praesertim in operibus pietatis. Timeat valde sacerdos ac seipsum per examen districtum scrutetur, si unquam se sentiat moveri ad opera officii sui, vel per respectum humanum, vel per aliud quodcumque motivum extrinsecum. Si ad Missam Sacrosanctam offerendam, ad catecheses, ad praedicandum, ad confessiones audiendas excitari debet per timorem censurae, redeat quam

primum ad cor, animum vitamque mutet. Sicut fides sine operibus, sic pietas sine charitate, mortua est.

XVII.

Charitate prosequatur imprimis confratres suos. "Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum." Qui charitatem fraternam spernit, percutit Pastorem, oves dispergit. Quisque sacerdos omnes alios amet, eorum jura tueatur, famam bonam defendat, defectibus parcat, necessitates sive spirituales, sive corporales sublevet, laboribus, invitatus, opem ferat, errantes si qui sint (quod absit) pie, prudenter, humiliter admoneat, et pro omnibus indesinenter oret.

XVIII.

Vix satis potest reprobari eorum ratio agendi qui culpam gravem in fratre non solum silent, sed etiam specie ac pretextu amicitiae negligenter fovent, usque dum correctio, jam nimis tarda, lapsum ac poenam aggravat. Urgeat, ac instet correptioni, sacerdos fidelis, nec unquam desinat, donec vel culpa corrigatur, vel secundum legem divinam, nobis nuntietur.

XIX.

Erga subditos sibi charitatem exhibeat perpetuam. Petentibus Sacramenta numquam deneget, nisi ob metum sacrilegii. Visitantes benigne excipiat, sed a vanis colloquiis abstineat, nec eos, praesertim mulieres, diu manere permittat. Ita amet divites, ut eorum vitia non taceat assentatione, nec increpet cum livore. Amet pauperes, eorum querelas patienter audiat, necessitates pro viribus sublevet. Amet bonos et pios ut ad meliora eos ducere possit.

Amet discolos ac peccatores, eos sine ira increpans, poenitentes benigne suscipiens, reducibus ad Christum gratulans.

XX.

Ex charitate sincera, zelus sacerdotalis, sponte sua, profluit: zelus domus Domini, qui ornare ac purificare locum habitationis Illius, qui super omnia diligitur, numquam desinit: zelus salutis proximi, qui potentia non terretur, minis non flectitur, blandis non sopitur, difficultatibus non impeditur, sed semper prudens, constans, et ab omni amoris proprii labe purus, non quaerit nisi gloriam Dei et salutem animarum.

XXI.

Utinam zelus iste consumeret nos nostrosque confratres, dilectissimos ac venerabiles Domini sacerdotes. Videmus, quidem, haeterodoxos plurimos, Catholicos societatibus vetitis, aut saltem periculosis, irretitos, peccatores convertendos, bonos dirigendos; quomodo fiet ut haec onera rite portemus, nisi zelus Dei a cordibus nostris omnem cupiditatem divitiarum, omnem ambitionem dignitatum, ac honoris caduci, omnem ignaviam, expulerit atque exterminaverit?

Opus bonum non est aliquod sine castitate. "Mundamini qui fertis vasa Domini."

Primum medium post amorem et timorem Dei, adimplendi votum quod fit in ordinatione, ad subdiaconatum, est devotio specialis erga Mariam Immaculatam. "Adii Dominum et deprecatus sum," quia Matrem semper exaudit.

Secundum medium est fuga occasionum quales sunt tactus etiam pudici, colloquia familiaria, in-

habitatio et commoratio in eadem domo cum personis alterius sexus, praesertim suspectis, vel vanis et mundanis.

Tertium medium est custodia cogitationum quod melius fit per constantem intentionem animi in cogitationes contrarias. Qui domi manet sordes viae et platearum non contrahit; sic anima quae studiis sacris est intenta cogitationibus pravis vix obruitur, imo vix impetitur.

Quartum medium est frequens recordatio ac imitatio Passionis Domini cum ipso esuriens, jejunans, patiens, laborans sacerdos "eadem cogitatione armatur." Caro quae eget licitis vix illicita concupiscet. Corpus castigatum ac in servitutem redactum thesaurum inaestimabilem castitatis melius conservabit; dum, teste e contra Sancto Hieronymo, "Venter, cibo, et mero exaestuans despumat in libidines."

Quintum medium est spiritus poenitentiae ac propriae fragilitatis timor. Qui timet peccatum remedia contra peccatum non perhorrescet — disciplinam mentis, custodiam sensuum servabit. Dum, e contra, qui aspera amplecti dubitat, inter asperiora capietur; et dolore momentaneo perterritus, in cruciatus sine fine pelletur. Nemo securum se existimet dum Thesaurum in vase fictili portat; non propter devotionem, non ob indolem, dignitatem, aetatem, pietatem quantumvis probatam; in fuga occasionum, ac in gratia Domini, stabit.

Haec, et si quae sint alia, media quisque diligenter adhibeat. Tempus breve est, quo elapso, caro non amplius adversus spiritus concupiscet. In coelo quies, "in coelo merces magna nimis."

XXII.

Justitia sine qua nemo potest in vitam intrare in sacerdote resplendeat.

Reddat Deo Sacrificium, cultum publicum ac privatum. Reddat Summo Pontifici Romano, ac Proprio ordinario promptam alacremque obedientiam. Reddat etiam "Caesari quae sunt Caesaris," id est, subjiciatur legibus civilibus, legitimis ac justis, subjectionemque aliis suadeat. Reddat confratribus sacerdotibus venerationem, nec ullo modo se ingerat in eorum negotia, aut in eorum jurisdictionem se intrudat. Reddat subditis, suum cuique; sacramenta cui sacramenta; honor cui honor.

Maxime autem studeat justitiae in re pecuniae, in qua triplex presertim periculum Missionario imminet:

1. Ne post aurum abiens, occasione administrandi Sacramenta plus aequo extorqueat, vel stipendia pro Missis quas celebrare nequit, accipiat.

2. Ne jura alterius Pastoris laëdat, ac quod restituendum est, invito surripiat, ut sunt jura stolae, ac collectae, nisi cedantur.

3. Ne data pro Ecclesia, ut sua retineat, et ne nimio ardore ac zelo indiscreto debita contrahat etiam in bonum finem, quae solvere non valeat, de quo alio in loco ubi de aedificiis Ecclesiasticis, et de acceptatione pecuniae *in depositum* actum est.

XXIII.

Sacerdotibus omnibus est mandatum Domini, Estote, "prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae," quo injungitur, nempe, prudentia in operatione, simplicitas in intentione. Prudentia

est fines dignos et apta media agnoscere: simplicitatis est non nisi ea appetere.

Ut Sacerdos prudenter se gerere valeat probe scire debet.

1° Omnia adjuncta loci ubi ministerium exercet; scilicet, linguas, consuetudines, institutiones, opiniones receptas, factiones, imo etiam commercia, labores ac artes.

2° Viros praestantiores seu duces populi etiam ex iis qui foris sunt, et classes, saltem, inferiores.

3° Omnes Catholicos, non solum quoad nationem et familiam, sed etiam quoad studia, ac indolem individualem.

Ipsi enim obligatio incumbit conciliandi sibi animos infidelium, ac haeterodoxorum, quin errori parcat; utendi benevolentia eorum, qui undequaque, auram popularem anhelant, in bonum animarum, quin tamen, laqueis factionum capiatur, aut partium studio, inhaerere compellatur; atque pascendi fideles eo modo quo quisque pasci eget, id est, distribuendo consilium, admonitionem, instructionem, objurgationem, punitionem, prout singulorum necessitates postulant.

Haec omnia apprime callere studeat Pastor, sive ex antecessore suo, aut aliquo confratre, sive ex ephemeridibus publicis loci, sive ex proprio auditu ac visu.

Tunc speciali modo prudentia est adhibenda quando agitur de scandalis, aut extirpandis, aut praecavendis.

Interdum enim quaedem videntur scandala, quae revera non sunt, nec ab assuetis ita respiciuntur.

Rursus alia sunt scandala, sed propter majora

mala quae in eorum extirpatione exurgerent, sunt silentio praetereunda, donec dies Domini veniat, e. g., rixae familiarum, etc.

Iterum in scandala extirpandis, vel praecavendis, alia aggredienda sunt recto tramite, nec cum iis induciae habendae sunt ullae; alia mediis indirectis quae seligere sapienter ac adhibere patienter, sacerdotis est. Ex priori specie est aperta ac formalis haeresis aut schisma aut Ecclesiae profanatio. Ex posteriori, abusus chorearum, spectaculorum, importunitates pro dispensationibus in legibus matrimonium afficientibus, frequentatio Scholarum Publicarum a juvenibus Catholicis, et alia multa ejusdem tenoris.

Iterum alia indigent suasione, alia virga. Magnum quiddam, ergo est, ac a Deo enixe postulandum, sacerdotalis prudentia.

XXIV.

At Prudentia erit in laqueum nisi a simplicitate Christiana, id est, a spiritu humilitatis conservetur ac custodiatur. "Si oculus tuus nequam fuerit totum corpus tenebrosum erit." Melius esset prudentia carere quam eam in subsidium cupiditatis exercere. Humilitas, quae, in praxi, est AMOR VERITATIS, prudentiam perfectam reddet. Huic ergo studeat, huic inhaereat Sacerdos Christi. Nihilum se ipsum putans, in nihilo glorietur nisi in Cruce Domini.

Sic magnos pro Domino suscipere labores potest eosque ad finem felicem perducere. Enimvero ideo, ut plurimum, nostra judicia circa res agendas errant, quia vel cupiditate vel inani gloria, vel super-

bia mentis, a rebus integre perpendendis praepedimur. Sed haec omnia expellit humilitas. "Si oculus tuus lucidus fuerit, totum corpus lucidum erit."

Hac virtute maxime ipsi opus erit:

1° In recipiendis sublevandisque pauperibus. Non enim ea qua decet humanitate eos audiet aut miserebitur nisi tanquam fratres, imo, utpote Christum repraesentantes, fratres majores illos respicit ac veneratur.

2° Agens cum peccatoribus, se ipsum reputans, ira accenditur, et nesciens cujus spiritus sit, vocat ignem de coelo, ubi Dominus mansuetus sustinet, atque sic obstinationem excitat loco poenitentiae.

3° Agens cum rudioribus: Quomodo enim se ipsum quaerens, potest centies milliesque easdem explicationas tradere, eamdem stultam superbiam tolerare et patiendo vincere?

4° Agens cum inimicis fidei, et invasoribus jurum Ecclesiae. In hujusmodi controversiis, enim, qui damnum sibi timet aut emolumentum expectat, vinctum se tradit, propriam causam prodit, opiniones proprias pro veritate defendens, se ipsum pro Christo ponens, adversarium corroborat, deficiente enim humilitate, jam non est testis veritatis sed sui ipsius advocatus, Ecclesiae non conscius hostis.

XXV.

Prae omnibus aliis vita sacerdotalis fortitudinem efflagitat, circumdatur enim majoribus difficultatibus, minoribus defenditur humanis auxiliis. Ipsum oportet eodem tempore inter humanas infirmitates conversari, infirmitatibus non obnoxium, judi-

cem ac magistrum esse, sed veluti fratrem se habere; in aliis, carnis ac sanguinis misereri, in se, non eis acquiescere; ducem esse populi, sed ducis fastum respuere; inter peccatores justum esse, in tenebris lumen indeficiens; inter mutabiles, immobile veritatis ac justitiae firmamentum.

Sit fortis ergo sacerdos:

1° In sequenda regula vivendi quam sibi praescribit. Ad fidelitatem ipsum non alliciant sola exempla sociorum sive monita superiorum, sive admiratio inferiorum, sicut alios homines. In hac sibi ipsi debet esse lex. Christi exempla sibi proponat, Christi lumen sequatur, Christi disciplina imbutus. Ex hac fidelitate pendet totius vitae eventus. Erga se ipsum proinde instanter utatur eo, quod in ordinatione ad Diaconatum accepit, robore "ad resistendum diabolo ac tentationibus ejus."

2° In regenda domo sua. "Qui domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit?" Videat omnia suo tempore fieri, et nemini delinquenti, vel abusus quoscumque introducenti, vel minime parcat.

3° In reprimendis peccatis ac scandalis. Si semel compertum fuerit aliquod scandalum esse eliminandum illud, accinctus robore, Pastor aggrediatur, non timens eos qui corpus possunt occidere, sed potius eum qui potest et corpus et animam perdere in gehennam. Pro nihilo habeat discrimen victus, famae, imo et ipsius vitae perdendae. Oportet potius obedire Deo quam hominibus.

4° In laboribus missionum sustinendis. Nunquam in quaerimoniis ac lamentationibus se indul-

geat. Si pondus diei ac aestus portare cogitur, expectet Dominum, viriliter agat, ne quaerens consolationem mundanam, meritum et coronam coelestem, prae pusillanimitate spiritus, amittat.

Temperantia.

Indignum esset ac plane monstruosum si is qui Christum crucifixum verbo et exemplo populis imitandum praedicare tenetur, desideria carnis adimplere conaretur, atque a propria sua concupiscentia abstractus et illectus crapulae et ebrietati, imo et immunditiae, se traderet. At quisque potest usque huc devenire, nisi solerter, ac impigre legem temperantiae custodiat.

Temperantia est abstinentia a delectationibus sensibilibus quae nocent sive animae sive corporis saluti.

A delectationibus tactus ac visus quisque tenetur abstinere, voto castitatis, de quo supra.

A delectationibus gustus deterreatur sacerdos, non tantum turpitudine peccati, ac poena, sed propter scandalum aliis ac damnum sibi inde profluens.

1. Scandalum ex crapula et ebrietate multo majus evadit ex adjunctis apud nostrates. Plurimi Catholici, praesertim operarii, huic vitio addicuntur. Si ergo sal infatuatum fuerit quomodo salietur?

2. Sacerdos qui temperantiam spernit, salutem corporalem, puritatem animae, aciem ingenii, vim suscipiendi et e antlandi labores, venerationem subditorum, honorem apud eos qui foris sunt, sensim

sine sensu misere amittit. Quot naufragia, ex hac causa provenientia, lugentes videmus! Quot lapsus, quot mortes deploravimus! Unusquisque probet se ipsum; et non voluptate tractus, sed ratione ductus, statuat modum sibi observandum in cibo, ac praesertim potu, quem numquam excedat.

Hactenus nihil in Synodis Dioecesanis, de vestitu clericorum statuimus praeter id quod generice in Cap. I. SS. XXII Con. Trid. traditur, atque passim in Sacris Canonibus nempe quod sicut in gestu, incessu ac sermone ita nil praeseferat sacerdos in habitu, *nisi*, *grave*, *moderatum*, ac *religione plenum*. Evitetur, igitur, omnis fastus et jactantia tum in nitore vestium, tum in squalore, ne vituperetur ministerium nostrum, vel quia inculti, vel quia propter coenodoxiam, plus aequo cultui corporis videamur addicti.

Haud omittendum, tamen, hic putamus judicium nostrum, cultum comarum ac barbae sacerdotes dedecere; ac existere apud nos si non easdem, saltem sufficientes, rationes, ob quas veteres canones circa hanc rem, in vigore pleno perseverent.

Magnam solicitudinem atque prudentiam impendat Pastor in domesticis seligendis ad arcendum malum et scandalum praecavendum. Ancillae sint piae, moribus graves, provectae aetatis, orationi, non loquacitati, deditae; nec unquam in domo sua habeat mulieres quae sunt suspectae vitae, vel

quae tales pro amicis habent, vel quae immiscere se studeant negotiis congregationis.

Ordinem rerum domesticarum, scil., horas cubandi, surgendi, reficiendi, ac uniuscujusque, officia statuat, nec, sine gravissima ratione, immutet, vel negligi permittat.

Fugiens otiositatem quisque sacerdos tempus ab operibus officii sui liberum occupet in studiis ac lectionibus. At tantummodo iis scientiis, quae pertinent ad avocationem suam operam impendat, id est, Sacrae Scripturae, S. Theologiae, Historiae Ecclesiasticae, Vitis Sanctorum, Juri Canonico. Aliarum scientiarum notitia in Seminario acquisita sufficiet; nec decet Pastorem animarum famam honoremque quaerere in iis quae non sunt ad Deum.

Recreationem honestam ac moderatam unusquisque sumere non dubitet. Intelligat tamen se teneri in semetipso excolere spiritum illum in quo Sancta Mater Ecclesia vetuit clericis ingredi in cauponas, theatra invisere, choreis interesse, aleis ludere, convivia amare, aliaque vana ac periculosa oblectamenta quaerere.

Quantum fieri potest bonus Pastor debet cognoscere oves suas, ut late demonstrat Sanctus Gregorius Libro de Cura Pastorali, et ut rei natura satis ostendit; id est, debet prae oculis habere uniuscujusque statum, aetatem, indolem, ut singulos, ut expedit, dirigat, et omnibus omnia fieri.

Sic cum divitibus ac potentibus debet esse modestus, mitis, et justus, nec tacens vitia per assentationem nec carpens per invidiam.

Erga pauperes sit patiens et misericors. Audiat unumquemque, et pro viribus, tum pecunia, tum consilio, sublevet. Praecipue in eo incumbat ut dirigantur atque adjuventur ad seipsos sustentandos. Multo magis misericordem se praebeat iis pauperibus, qui parentibus orbati, in infantia, omni humano auxilio destituuntur.

Inimici Sanctae Ecclesiae nullum non movent lapidem, ut parvulos derelictos diripiant atque disperdant. Pari sed meliori zelo quaerat quivis Pastor animas istas, eorum saluti prospiciat, eos vel in orphanotrophiis, vel apud fidelem aliquam familiam, in tuto reponat. In hunc finem sustentationem orphanotrophii erectionemque Reformatorii, quo maxime omnium egemus, populo commendare satagat.

Erga pios ac ferventes ductorem fidelem, forma factus gregis ex animo, se jugiter exhibeat. Omne opus bonum per pias sodalitates foveat dirigatque. Praesertim incumbat ut Sodalitates Beatissimae Virginis Mariae, bonae Mortis, in visitationem aegrotorum et levamen, atque in sustentationem orphanorum, florescant: nullum opus pium, orationem, communionem, eleemosynam, directe, aut, indirecte, impediat.

Caveat, tamen, ne filii ejus spirituales sub specie pietatis rem ipsam, superbiendo, amittant; et, ne ipse, dum mansuetum se exhibet, speciali modo cum mulieribus consilium petentibus, mollis vel videatur, vel fiat.

Erga discolos sit patiens, sed inflexibilis disciplinae custos. Nec temere, nec iracunde, reprehendat, sed graviter, prudenter, atque adeo humili-

ter ut non videatur loqui ipse sed qui vivit in ipso, Christus. Super omnia evitetur scandalum objurgandi privatas personas in concionibus publicis; atque nonnisi ob gravissimam causam, Nobis prius deferendam, aut nominetur aut describatur quivis privatus uti censura dignus.

Erga eos qui foris sunt sit Pastor urbanus, justus, benevolus: ast cum iis societatem non ineat, nec ab illis huc illuc circumducatur, praesertim si rebus publicis se miscent ac dignitates quaerunt, in templis seu conventiculis eorum non videatur, nec pecuniam pro talibus templis construendis ipse contribuat vel a suis dari sinat.

Erga Confratres Sacerdotes sit benignus, hospitalis, cordialis, ad officia omnia charitatis paratus. Verbo et exemplo iis suadeat justitiam, charitatem, puritatem, prudentiam, temperantiam, omnesque virtutes sacerdotales. Semper bene de iis sentiat ac loquatur praesertim coram laicis.

Eorum jura omnia veneretur ac defendat, ab omni non solum actu, sed etiam suspicione, ea invadendi prorsus se abstinens.

Infirmos invisat, labores allevet, moribundis, precibus Sacramentisque Ecclesiae assistat, mortuos sepeliat, eisque suffragetur.

Ante omnia studeat quisque sacerdos hujus Dioeceseos reverentiam atque obedientiam Summo Pastori Pontifici Romano ex toto corde praebere. Nunquam audeat de eo nisi reverentur loqui aut scribere vel ejus decreta oppugnare, aut negligere, sed omnia corde credere, ore confiteri, opere complere inter delicias vitae habeat, eo magis, hisce

in temporibus quando spiritus novitatis et superbiae mundanae et ipsos filios obedientiae seducturus esse minitetur.

Eamdem quoque reverentiam quam nobis solemnitur promisit, ad sacerdotalem gradum evectus, erga Nos, decretaque ac monita nostra jugiter exhibeat. In iis non respiciat pusillitatem nostram, sed majestatem Divinam, nec sapientiam edicti, sanis legibus nunquam, ut speramus, repugnantis, de quo nos rationem reddituri sumus, sed proemium obedientiae, mente et corde reputans.

Vehementer optamus unumquemque ex Clero nostro dilectissimo Filium nostrum charissimum se credere ac sentire. Libenter, ut decet, ejus curas anxietatesque suscipiemus dummodo amoris atque confidentiae participes fuerimus. Nobis, juxta pulcherrima monita Sti. Ignatii martyris, Ep. ad Ephes. concordent Sacerdotes ut chordae in cithara, nosque cum ipsis.